Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36553
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



ergo adutę magnum malum. mortis grande solatium. Sit
utę exit terminus tantorum malorum. det finem miserię. requies
sepulturę. Et si non uita. saltem uel mors misereri incipiat; Mors
malorum omn[illegible]um finē ponit. mors calamitati terminum
preba. omnē minor calamitatē mors adimit; Melius est bōne
mori quam male uiuere. melius est non esse. quam infeliciter
esse; Ad conparationē miseriarum mearum. feliciores esse mortuos
quam uiuentes dico; Parcite dolori meo quęso. Parcite merori
meo quęso; Ignoscite angustię meę. ueniam date. Indulgite
meis doloribus; Intanto dolore contra me commoueri nolite. Per-
cussionē meam plango. calamitatē meam deploro. familiarē cladē
miserię meę lugeo. Plura enim ministrat dolor. non ualeo consolari
miser. Inpatiens est enim dolor meus. Infinitus est meror meus;
Nullatenus lenitur uulnus meum; Nullus lacrimis modus est.
nullus dolorum finis est. Iam nulla fiducia est animi. iam ferre non
potest animus. Iam uictus miserus concidit animus. nullus do-
lorum finis est; RATIO RESPONDIT

O homo quid tantum diffides animo. Quur adeo mente
debilitaris. Quur animo tantum defunderis. Quur spei
fiduciam omnē amittis. Quare tanta pusillanimitate deiceris.
Quare inaduersis adeo frangeris. Omitte tristitiam. desine
tristis esse. tristitiam repelle ate; Mestirię noli succumbere.
noli te multum dare mestirię. Repelle acorde dolorē. abanimo
exclude dolorē; Inhibe impetum doloris. non perseueres indolore;
Vince animi dolorē. supera mentis dolorem; HOMO

Qualiter. Quo pacto. Quomodo. Quē admodum. Qua
arte. Quo consilio. Quo ingenio. RATIO

Omni ope. omni ui. omni arte. omni ratione. omni consilio.
omni ingenio. omni uirtute. omni instantia. Sume luctamen
contra tēporales molestias. Esto incunctis casibus firmus; Patiēt
tolera omnia. omnia aduersa. ęquo animo tolera; Noli singularem
conditionē tuam intendere. non est ate sola tua pensanda acerbitas.
non est sola tua ate consideranda calamitas; Respice similes. aliorū